Similiter hoc Aioth abidexter olim Christum prefiguravit
Qui Eglon pinguissimum cum gladio perforavit
Eglon rex crassus nimis et pinguissimus erat
Et impugnando iudeam filios ysrahel opprimebat
Aioth autem cogitavit quomodo ipsum trucidaret
Et filios ysrael ab impugnatore suo liberaret
Accessit autem ad eum in atrium ubi sedebat
Et gladium sinistra manu in ventrem eius mittebat
Misit autem tam valide ut capulus ferrum sequeretur
Et in pinguissimo ipsius adipe constringeretur
Et relinquens gladium in eius ventre fugit et evasit
Et sic filios ysrahel a tali inimico liberavit
Eglon propter suum pinguissimum ventrem
Significat dyabolum amplissimum ventrem habentem
Qui pinguissimus dicitur eo quod omnes homines deglutivit
Quia totum genus humanum in ventrem eius introivit
Tandem dominus Ihesus Christus ventrem eius perforavit
Quando portas inferni gladio sue passionis penetravit
Dyabolus superavit hominem per pomum gustatum
Et ideo superavit Christus dyabolum per amaram passionem
Et in hoc dedit nobis dominus exemplum ad pugnandum
Quia contra dyabolum et vicia est certandum
Sicut enim egritudinibus contrariis contraria curantur
Sic impugnacio dyaboli contra per virtutes superantur
Nemo coronatur nisi qui legittime certaverit
Et nemo certare poterit nisi qui hostes habuerit
Volt autem deus ut homines sustineant impugnatores
Ut ex hoc in celo augeantur eorum retributores
Permittit etiam dominus ut boni in sompniis temptentur
Et etiam dormiendo eorum premia augeantur
Quanto ergo plura habuerit certamina
Tanta plura accipiet premia
O bone Ihesu da nobis contra dyabolum et vicia ita preliari
Ut a te mereamur corona specialia coronari Amen

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/speculum1436/0166
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg